



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 406. An feudum acquiri possit successione, & in specie eâ, quæ
est ex testamento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](#)

Et, à quo primus vasallus infeudatus, utpote per
nes quem semper remansit dominum directum,
quod tanquam pars prima & potior attendendum;
ita Clarus dicens esse communem cum Zasio de-
fend. in p. 9. vers. sed occurrit. Cagnol. in l. con-
silio. §. loci mei. ff. de reg. iur. n. 9.

**Ques. 405. An & qualiter feudum per
præscriptionem acquiri posse?**

Resp. primò: Feudum propriè tale seu do-
minium utile rei alia allodialis sub obliga-
tione fidelitatis & servitii alicujus præstandi
præscriptione constitui & acquiri potest a privato
contra privatum spatio 30. annorum, accedente
bona fide. Paris. conf. 15. num. 13. l. 1. & conf.
27. n. 91. l. eod. Clar. §. feund. q. 45. n. 3. Myn-
sing. cent. 4. obs. 29. quod expresse habetur l. 2.
feud. tit. 26. ubi: Si quis per 30. annos rem ali-
quam ut feudum possedit, & servitium domino
exhibuit, quamvis de ea re non sit investitus, præ-
scriptione tamen 30. annorum se tueri potest: in-
tellige, ut vasallum. Dicitur: *Contra privatum:* idem
tamen dicit Reiffenst. b. t. n. 59. de domino
seculari; adeoque nota faciendo in hoc discri-
men, an dominus ditectus, contra quem præscri-
bitur, sit persona privata, an in dignitate consti-
tuta seu Princeps. De cætero opponendo priva-
to Ecclesiam, contra hanc, ut & alium locum
piùm, & rerum publicatum bona feudum non
præscribitur nisi 40. annis; cùm enim tantum
temporis requiritur ad præscriptionem bonorum
illius immobilium quò ad dominum proprietatis
eorundem, ut constat ex jure communī, idem de
iisdem præscribindis quò ad dominum utile, seu
acquirendis viâ præscriptionis in feudū dicen-
dius, præsertim cùm in libris feudalibus non tan-
tum non habeatur quò ad hoc contrarium, sed
etiam in iis l. 2. tit. 1. §. si strenuus. præcipiatur, ut,
si occurrat casus non comprehensus in consuetudi-
nibus feudalibus (quales sunt isti libri) decidatur
juxta jus commune seu legem scriptam; & ita te-
nent Rosenth. de feud. c. 6. concl. 78. Mynsing.
loc. cit. Engels b. t. n. 17. quos citat & sequitur
Reiffenst. num. 59. Dictum etiam: *Accedente
bona fide;* quia c. fin. de prescr. universaliter di-
citur, quòd nulla præscriptio tam canonica quam
civilis valeat; estque Reg. iur. in 6. possessor ma-
la fidei nullo unquam tempore præscribit. Per
quos SS. Canones consuetudinibus & legibus civi-
libus, si quæ sunt in contrarium, derogari censem-
tur, juxta quod dicitur cit. c. fin. de prescr. omni
constitutioni & consuetudini derogandum esse,
quæ absque peccato observari nequit. Ad hanc
tamen præscriptionem non requiritur præterea
titulus; cùm juxta c. 1. de prescr. in 6. ad præ-
scriptionem longissimi temporis, qualis est illa
30. annorum, sufficiat bona fides absque titulo.
Dictum est denique: præscribi dicta ratione con-
tra dominum: unde videtur sequi, pari modo à
domino præscribi feudum contra vasallum, ita ut
res allodialis vasalli evadat feudalis, si nimis
per 30. annos à vasallis ratione illius prædicta ob-
sequia aliaque onera feudalia. Sicut autem do-
minus per præscriptionem illius temporis facere
potest, ut ex re allodiali vasalli fiat res feudalis;
ita etiam vasallus facere potest, ut ex re feudal
fiat res allodialis ipsius vasalli, & ita præscribere
dominium directum domini. Abb. in c. ad audi-
entiam. de prescr. n. 17. Engels b. t. n. 42. quos

citat & sequitur Reiffenst. b. t. n. 69. Neque his
oblitus lex feudalis. L. 2. tit. 55. cùm illa loquatur
de præscriptione feudi male alienati, & non de
feudo, quod præscribit ipse vasallus absque aliena-
tione, faciendo per præscriptionem ex eo rem
allodialem.

Resp. secundò: Feudum à vasallo sine con-
sensu domini alienatum seu translatum. V. g.
per venditionem in alium, ab hoc, eti sit emptor
bona fidei, contra dominum neque quò ad pro-
prietatem, ita ut res feudalis fiat allodialis, neque
quò ad dominium utile, ita ut ille emptor loco
prioris fiat novus vasallus, præscribi non posse spa-
tio 30. vel 40. annorum, ita ut dominus aliena-
tionem sine suo consensu factam annullare, &
feudum tanquam sibi apertum recuperare amplius
nequeat; sed requiri ad hoc centum ad minimum
annos, tenent probabilius Isernia in c. imperia-
lem. de prohib. feud. alien. cui communiter inha-
rere AA. ait Curt. Jun. de feud. 4. part. in ult. car. s.
amitt. feud. col. 1. Clar. q. 45. n. 2. juncto num. 4.
Harpachy. pr. Inst. de usucap. n. 16. & plures alli,
quos sequuntur. Engels. b. t. n. 42. & Reiffenst.
b. t. n. 64. sub distinctione tamen facta in hoc in-
ter feuda, quæ annexa habent servitia militaria
pro Reip. utilitate, quæque plerumque dantur à
Principibus belligerandi potestatem habentibus, &
de iis admittunt præscribi non posse 30. vel 40. an-
nis, & feuda privatorum, vel vi quorum ad ser-
vitia militaria non tenentur vasalli, & de his ne-
gant præscribi non posse 30. vel 40. annis. Nitun-
tur hi AA. textu. l. 2. feud. tit. 55. ubi expresse
Frideric. Imperator ob regni utilitatem cassat & in
irritum deducit hujusmodi alienationes factas &
impostorum faciendas nullius temporis præscrip-
tione impediens, redditia etiam ratione hujus
constitutionis suæ; ne simirum cum magno Reip.
detrimento servitia militaria minuantur, & expe-
ditioni bellicæ vasalli obligati deficiant. Quata-
men ratio legis, & consequenter lex ipsa deficit in
feudi alienati præscriptione tantum quò ad domi-
nium utile, dum feudum nulla servitia militaria ad-
juncta habet, talia saltem feuda præscribi posse
videntur 30. vel 40. annis; atque ita locum ha-
ber dicta distinctione; quin & sententia opposita,
quam alias absolute tenent Rosenth. in Synop. juris
feud. c. 6. concl. 150. & c. 9. concl. 132. Gail. Ti-
raq. Præpos. Bald. relati à Reiffenst. b. t. num. 63.
motu hac ratione; quòd ob bonum Reip. & tol-
lendas iniurias lites possessio 30. vel 40. anno-
rum cum bona fide generet præscriptionem, quæ
cilibet plenam securitatem præstet juxta jus com-
mune. L. sicut. l. omnes. de prescr. His non ob-
stante, textu cit. l. 1. tit. 55. cùm is loquatur de
præscriptione ordinaria 10. vel 20. annorum, non
verò de extraordinaria longissimi temporis; quæ
tamen interpretatio dictæ legis feudalis minus apta
videtur; cùm textus ille nimis clare omnem &
cujuscunq; temporis, adeoque etiam longissimi
temporis præscriptionem infirmet; quin etiam ei
jus ipsum commune resistit, dum positive resistit
præscribenti, constituendo, ut intra annos 40. si-
ne titulo (uti contingit in præsenti casu) præ-
scribi nequeat.

**Ques. 406. An feudum acquiri posse
successione, & in specie cù, quæ est
ex testamento?**

Resp. primò: Tametsi olim & ab initio nul-
la dabatur in feudis successio, seu ea non

acquirebatur successione vi primæ constitutionis eorum; sed domini rem suam in feudum datam pro libitu possent auferre; postmodum tamen moribus inductum, ut datio illa haberet firmatatem ad annum. Dein statutum, ut produceretur ad vitam fidelis vasalli; ac demum, ut etiam ad filios ejusdem deveniret, nimirum ad eum, in quem Dominus vellet hoc beneficium confirmare. Quod hodie ita stabilitum & extensem, ut ad omnes æqualiter veniat; quin & deinceps ad septimum gradum progrediatur, & jure novo in masculis in infinitum extensem, prout hæc habentur & dicuntur l. 2. *fend. tit. 1. §. 1.*

2. Resp. secundò: Licet in rebus allodialibus detur successio, tam ab intestato (quæ etiam legitima dicitur l. 1. & 8. ff. *de petri, hæred.*) quam quæ est ex testamento, dicta testamentaria; in feudi tamen sola admittitur legitima, seu quæ est ab intestato; ea vero, quæ est ex testamento, sit irrita nulla nulliusque valoris. Clarus §. *fendum. g. 40. n. 1.* cum Socin. Jun. *conf. 72. post num. 40. l. 1.* Curt. Jun. *de fend. 4. part. princip. in reg. 1. q. ult.* & communis juxta quod dicitur l. 1. *tit. 8.* nulla ordinatio defuncti in feudo manente vel valente &c. eo quod, cum vasallus non sit dominus feudi, nisi quādū vixerit, non debeat posse de eo disponere in præjudicium eorum, quibus ex providentia primi constituentis & acquirentis feudum illud post mortem ejus debetur. Unde nulla est dispositio, quæ pater in testamento disponit, ut feudum ad filios inæqualiter transeat, vel unus solus illud habeat. Schrad. *de fend. p. 7. 6. 2. n. 3.* Clar. loc. cit. n. 5. citatis Zasio *de fend. p. 8. in 3. particul. vers. & hanc part. Alex. in l. cum servos. §. si quis alicui. ff. de legat. &c.* idque, etiam si id faciat cum consensu domini directi, nisi filii aliqui agnati de quorum præjudicio agitur, consentiant. Curt. Jun. *de fend. p. 4. à num. 12. 7.* Reiffenst. *b. t. num. 71.* Et hæc procedere de placido in feudo antiquo & paterno ait Clar. l. c. n. 6. cum Ruin. *conf. 9. l. 1. in fin.* & Socin. Jun. *conf. 160. n. 44. l. 2.* eo quod extra dubium sit, vasallum non posse mutare naturam feudi; adeoque dum feudum virtute investituræ debet transire ad omnes filios æqualiter, pater illud non possit prælegare uni. Num autem idem sit in feudo novo, valde controvertitur inter AA. affirmativam videri magis communem dicit Socin. loc. cit. negativam è contra magis communem asserunt alii. Quam etiam sibi magis placere ait Clarus; eo quod valde rationabile sit, quod quisque iure suo quæficit, etiam arbitrio suo alienare possit; nullumque in hoc fieri præjudicium, dum juxta valde probabilem vasallus tale feudum novum cum consensu domini alienare possit etiam in extraneum. Item nulla est testamentaria dispositio facta de feudo ad causas pias. l. 2. *tit. 9. §. donare.* ita etiam, ut hæres ne quidem estimationem feudi reliqui legatario præstare teneatur; eo quod rei legata estimatione non debeatur; cum ea legata non censeatur, sed solum jus, quod legans in re legata habeat. Clar. loc. cit. num. 4. citatis Bald. *in cit. §. donare. n. 3.* & Socin. Jun. *conf. 72. n. 60. l. 1.* dicente esse communem. Nihilominus

3. Resp. tertio: (quæ est limitatio prioris responsionis,) dum feudum tamen est simpliciter & absolute seu merè hæreditarium, de eo pro libitu suo in testamento potest vasallus, & relinqueret illud, cui voluerit etiam extraneo. Clar. loc. cit. num. 2. Vultej. *de fend. l. 1. c. 9. num. 79.* Si

verò est mixtum ex hæreditario nimirum & gentilio, seu simul ex pacto & providentia, (quale est receptum pro se & filiis & hæredibus juxta dicta supra; adeoque in eo succedere non possit, nisi qui simul sit hæres & filius, ut dictum ibidem) dispositionem testamentariam de ipso feudo valutram, eo quod hæres contravenire nequeat facto defuncti ejusque dispositionem infringere, afferit loc. cit. Clarus, ex mente tamen, ut videtur, aliorum. Quod tamen si verum esset, procedere tantum ait, ubi ageretur de præjudicio filiorum & agnitorum; dum autem ageretur de præjudicio ipsius domini directi, non haberi in consideratione, an sit feudum novum, vel antiquum, an sit simpliciter ex pacto & providentia, an mixtum; adeoque, nisi feudum sit absolute hæreditarium, omnem dispositionem factam de feudo per vasallum quod ad præjudicium domini esse nullius valoris. Ac denique de suo concludit Clarus, esse regulam generalē, quod, sive feudum sit simpliciter ex pacto & providentia, sive mixtum, vasallum in præjudicium agnatorum de feudo testari non posse.

Quæst. 407. Qui & quo ordine succedant ab intestato, in feudi nimirum gentiliorum?

1. Resp. ad primum: Jure sanguinis in talibus feudiis succedunt rectâ linea descendentes à primo acquirente feudum, puta filii & nepotes. Ascendentes, nimirum pater, avus illius collaterales, nempe fratres eorumque filii.

2. Resp. secundò: Primo loco succedunt descendentes masculi, ascendentibus & collateralibus, si qui sint, exclusis seu præteritis; pro ut dicitur l. 2. tit. 11. hoc modo inter eos servato, ut, dum plures sint filii, hi succedant æqualiter in capita; nepotes vero concurrentes cum filiis, in stirpes loco patris defunctorum, nullo facto discrimine, an sint, emancipati, an ex eodem, an ex diverso matrimonio nati; nisi fortè specialis consuetudo loci habeat aliud, aut desuper speciale pactum in contractu matrimonii factum, ut filii prioris matrimonii preferantur in successione feudi filii secundi matrimonii, pro ut textum, l. 2. *fend. tit. 26. §. mulier;* ubi sic constitutum, ad hunc casum specialis consuetudinis vel pacti restringendum allegerunt. Curt. *de fend. p. 3. memb. 1. qu. 24.* Azor. l. 10. c. 8. quæst. 3. &c. apud Reiffenst. *b. t. n. 75.* Et hæc, ubi feudum est dividuum: si enim dividi prohibetur, (qualiter feuda regalia. V. g. ducatus, comitatus expressè prohibentur dividi: l. 2. *fend. tit. 55. §. 1.*) solus primogenitus succedit ejusque descendentes, ita ut, si ex primogenito sint nepotes, hi præferantur secundo genito adhuc superstiti. Rosenth. c. 7. *concl. 26. num. 13.* & alii cum communione, juxta quod etiam expressè statutum in successione Electorali in Bulla altera Caroli IV. c. 7. ex ea etiam ratione, quod pater & filius natura una persona censeantur, hicquæ in locum illius iure repræsentationis etiam juxta communem succedat. De cætero à successione in feudo accentur filii adoptivi, l. 2. tit. 26. §. omnes. Item filii illegitimè nati, nec soli, nec cum aliis legitimis, etiamsi postmodum fiant legitimis, ad successionem feudi admittuntur, ut dicitur l. 2. tit. 26. §. mulier, nisi tamen sint legitimati per subsequens matrimonium. Mynfing. *cent. 5. obs. 42. & 52.* testans esse receptum in Camera Imperiali. Gail. l. 2. *obs. 141. n. 2.* Clar. l. c. q. 82. n. 4. citans quam pluri-